christiani exercitus venit, et propter dictam epydimiam facta compositione cum rege Tunicii et accepta magna summa pecunie propter expensas, quas ibi reges fecerant, totum exercitum duxit in Siciliam, ubi rex Navarre mortuus est. Et cum venissent ad portum Trapolitanum, naufragium passe sunt naves, et exercitus per terram rediit. Promisit quoque rex Tunicii, quod omnes christiani in regno suo captivi dimittentur, et quod monasteriis ad honorem Christi in omnibus civitatibus regni illius constitutis fides Christi per Minores et Predicatores libere predicari valeat et per quoscumque alios, et quod baptizari volentes nullo modo prohibeantur. F. D. 18

aedificantur add. cod. Del.

Hic anno III^o sui pontificatus MCCLXXIIII^o pro utilitate Terre sancte, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solempne celebravit concilium, in quo Grecorum et Tartarorum celebres ~~nuntii~~ interfuerunt nuntii, hoc procurante Paliologo imperatore Grecorum. Unde et Greci alta voce et cum solempnitate cantaverunt de sancto spiritu: Qui ex patre filioque procedit. // Nuntii vero Tartarorum in concilio baptizati ad propria redierunt. Interfuerunt autem concilio quingenti ~~alii~~ episcopi, abbates LXX, alii prelati M. Tunc ordo Saccatorum cassatus est. Multa quoque utilia ibi statuta sunt pro subsidio Terre sancte, pro electione summi pontificis, et pro statu uni-